

nibus vastare , cursorum itinera impedire . Ugo Moncata , ac Sueßanus Dux , qui a Romana legatione discesserat , cum Ascanio , Vespasianoque Columna , illius familiæ oppida propinquæ urbi ingressi bellum ab ea parte Pontifici non obscure minabantur ; ac nonnulli illius factionis homines Anagniam , Campaniæ oppidum , muniverant ; quorum motus non mediocriter Pontificibus pertimescendi Clementem mirum in modum afficiebat . His accedebat , quod cum Reipublicæ Senensis statum immutare in animo habuisset , præsenti opportunitate sibi aditum rei conficiendæ patefieri ratus , licet multis dissuadentibus , qui non frangendas vires , sed omnes ad socios mittendas ajebant : attamen ad Senarum civitatem animum adjecebat , ac extores in patriam restituere decreverat : cui rei cum Virginium Ursinum , Anguillariæ Comitem , præfecisset , mille ducentis equitibus , novemque æneis machinis , & ferme octo mille peditum numero , quorum delectus in ditionibus Ecclesiæ , Florentinoque imperio habitus fuerat , xiiij. kalen. julii ad Senarum moenia accessere ; eodemque tempore cum triremibus , ac millium peditum numero Senensium portus invaserat . Verum cum exulum amici , & propinqui nullum tumultus edendi , ut Pontificii speraverant , signum deditissent ; quamvis quater tormentis moenia coeptum esset ; situs tamen natura , urbis circuitu , cui præcingendo copiæ Pontificiæ non sufficerent , ac præsertim popularium constantia res ad exitum perduci non potuit . At licet Pontifex diris execrationibus Cardinalem , Columnensemque devovisset , cum difficultates in dies majores ori ri , spes imminui , pecuniæ inopia contineri sub signis collectios milites non posse cerneret , Ducis Sueßani nuntium , Ugonemque Moncatam pacis conditiones proponentes libenter audivit : quibus rebus agendis Romam Vespasianum Columnam Clementi veteri amicitia conjunctum miserant . Is dum ea de re tractare inciperet , exercitus pontificius , Senis relictis , palatus , arrepta fuga , sarcinis , tormentisque bellicis desertis , summo cum dedecore abiit .

His rerum eventibus Clementis jaçtatum animum Senatus Venetus sæpius confirmare , ac Marci Foscari oratoris prudenter , & eloquentia ad spem meliorem erigere conabatur ; nunquam Rempublicam ab officio recessuram , terra , marique , exer-